

Johann Gottfried Wilhelm Hofmann

**Celeritatem Conversionis Hominvm Insigne Efficaciae Verbi Divinioris  
Argvmentvm Brevibvs Perseqvitvr Ac Simvl Svmmos In Theologia Honores In  
Academia Vitembergensi Die IX. Ante Cal. Oct. MDCCLX Reportatos Viro ...  
Abrahamo Kvnzio S. S. Theologiae Licentitato Et Vitembergesis Archidiacono ...**

Vitembergae: Schlomach, 1760

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn831835656>

Druck Freier  Zugang





a. B.  
48. b. 41.

66


429

Fa-1092 (66.)



1. Baur de regendis limitibus criticis textus Hebraici.
2. Cotta de varia theologia proefatim dogmaticam tradendi ratione.
3. Cotta de recta theologiae dogmaticae conformatione.
4. Ernesti de Lucae et Iosephi in morte Herodis Agrippae consensu.
5. Franz de coelibatu ecclesiastico specimen primum. etc.
6. Hofmannus. Num angeli boni corpora hominum interdum obfidant?
7. Hofmannus celeritatem conversionis hominum infigne efficaciae verbi divini argumentum brevibus persequitur etc.
8. Kalschub providentiam Dei circa res singulares demonstrat ac partim vindicat.
9. Labes de efficacia sacrae scripturae super naturali.
10. Nagelius. de factis quibusdam Iacobi Patriarchae illustribus, secundum ius naturae consideratis.
11. Ernesti de difficultate interpretationis grammaticae novi Testamenti.
12. Mitternweg. Disputatio antiblanchiniana.
13. Ernesti de Origene interpretationis librorum scti grammaticae auctore.
14. Ernesti specimen castigationum in Wellstemii dictionem N. Testamenti.
15. Doederlein de dono spiritus sancti, ad episcopi ministerium rite alligato. com: I.
16. Gumpel. deß ein ditschischer Leutischer in G. und von Rumpfischer Painsor saugelischer und ditscher in demselben, nicht ditsch/ig.
17. Michaelis de variis lectionibus N. Testamenti, caute colligenis et dividendis etc.
18. Vani Giff. Disputatio de Luceis, daps diei Pauli sagung für die erpferbauung in den saugelischen kirche nicht vains etc. pag.
19. Luceis, daps nites dem in quorsten huius sal. tra Judas Iffariolus sauborgan lingua.
20. Luceis non dem saigne Ditschsalen dem ofun Luceis sauborgan huius.
21. Boyßen acta inter s. Cyprianum et Stephanum in disceptatione de haereticis baptizandis collecta, vindicata ac animadversionibus per illud.
22. Gotschedii inuitatio ad memoriam Philippae Melancthonis publice recitendam.
23. Franc: Albert. Aepinus de modo quaciationis Paullinae, per exegesis dicti I Corin II. 4. 5.
24. Huthii Petrus, non Petra.
25. Burgmannus de Iudaeis corde conpunctis.
26. Fischer de vita, fatis et scriptis Iatermarini.
27. Burgmannus de non confirmatis patribus V. T. ad dictum Paulli in epist. ad Hebr. XI. 39. 40.
28. Handwig de calculo in glandulis sublingualibus reperi.
29. Dage de bonis operibus, num et quatenus signa salutis dici possunt?
30. Meyer de Pontificis Leonis X. proacessum ad versus Lutherum in probantibus, Aquantum Pontificis Reformatione B. Lutheri, ipsi non diffitentibus, profuerit?
31. Aecelen de re in nris sabbathicis ex antiquitate, etc.
32. Wüstemannus de natura methodi mathematicae, eiusque usu in Philosophia ac Theologia.
33. Zachariae Christum ηρωτοτορον conserandum fuit, etc.

2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14



CELERITATEM  
CONVERSIONIS HOMINVM

INSIGNE  
EFFICACIAE VERBI DIVINIORIS  
ARGVMENTVM

BREVIBVS PERSEQVITVR

AC SIMVL

SVM MOS IN THEOLOGIA HONORES

IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

DIE IX. ANTE CAL. OCT. MDCCLX

REPORTATOS

VIRO

MAXIME VENERABILI AMPLISSIMO

DOCTISSIMOQVE

ABRAHAMO KVNZIO

S. S. THEOLOGIAE LICENTIATO

ET

ECCLESIAE VITEMBERGENSIS ARCHIDIACONO

LONGE MERITISSIMO

FAVTO RI SVO OMNI PIETATIS ET OBSERVANTIAE


CVLTV AETERNVM SVSPICIENDO

SVEMISSE GRATVLATVR

IOANNES GODOFR. GVILIELM. HOFMANNVS

BRENA-SAXO, SS. LL. C.

VITEMBERGAE  
EX OFFICINA SCHLOMACHIANA





Si diuinorum paullo curatius perquirimus adfectiones oraculorum, inter alias eminent sane illa, quam vocant efficaciam. Equidem haud quendam fore, existimo, qui eam vocet in dubium, nisi forte, qui illa nec legerit vnquam religiose, nec audierit effata diuinitus, quinimo, nec perspexerit adeo, qualis esse debeat reuelatio Numinis specialior. Cum enim finis sit reuelationis huius sempiterna mortalium salus, sequitur omnino, vt contineat remedia, quae sufficiant ad finem hunc facile obtinendum, inter quae efficaciam quoque referre debemus.

Sed missis nunc aliis, ceteroquin sat multis argumentis, primum ad nonnulla tantummodo ipsius Dei eloquia, quae Codice sacro continentur, prouocare possumus. In primis vero huc spectat illud Sospitatoris nostri oraculum, quod Io. VI, 63. habetur, vbi quidem ipse ita disserit: Τα ρηματα, α εγω λαλω υμιν, πνευμα εστι, και ζωη εστιν, Verba illa, quae ego vobis loquor, spiritus sunt, atque vita sunt. Quae verba insigne quoddam robur nostrae dant sententiae. Loquitur enim iam Iesus de verbis suis,



non modo iis, quae nunc protulerat, sed de omnibus in genere, quae unquam ex ipsius exierunt ore sanctiori; eaque adfirmat, esse *πνευμα καὶ ζωὴν*, id est, *vitam spiritumque*. Quis autem, quin magna quaedam lateat vis *in abstracto*, dubitet, quum *concretum* iam sufficisset, ad adfectionem verborum suorum simpliciter describendam? *Vitam autem spiritumque* vocat optimus Liberatores noster verba sua certe ab effectu, quia nimirum vi polent, hominem spiritu mortuum, in vitam restituendi spirituales. Senserunt quoque hanc efficaciam legati Iesu, quorum nomine, quid in venis eorum medullisque e Iesu colloquiis haeserit, Petrus profitemur, qui *v. 68.* ita quidem Magistrum suum adloquitur: *ἐμπνῶσα ζωὴς αἰωνίου ἔχεις κ. τ. λ. tu habes verba vitae aeternae, nosque te verum Messium ideo veneramur.* Tali virtute si verba Iesu gaudent, quis quaeso non videat, ea esse efficacissima? Huc pertinet quoque illud S. Pauli effatum *Rom. I, 16.* ubi euangelium, alteram verbi diuini partem, *δυναμιν, potentiam, in abstracto*, adpellat; *δυναμὶς γὰρ, inquit, Θεοῦ ἐστὶν εἰς σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστεύοντι, potentia enim Dei est in salutem omni credenti*, eaque denominatione praeclare idem, quod Iesus antecedenti in loco, contendit.

Nolo, instituti memor, morari in variis illis similitudinibus, quas adhibuit Dei Spiritus in illustranda vera oraculorum suorum indole. Confert illud, et in primis *verbum legis cum igne et malleo, Ier. XXIII, 29.* *הלא כה רכרו כאש נאם. Nonne verbum meum tanquam ignis, inquit Iehoua, et veluti malleus diffissam disperget petram?* Quemadmodum vero ignis locis tenebris completis lucem adfundit; quemadmodum adurit, ac doloribus adficit: ita et hoc verbum illuminat hominis meatem, uti turpitudinem peccatorum clare videat; producit in ipso dolorem de criminibus hisce contra sanctiores Dei sui leges admissis; quemadmodum malleus frangit atque contundit, quicquid ipsi subiectum fuerit: sic quoque lex Summi Numinis conterit corda mortalium. En itaque vim verbi magnam! en efficaciam summam! Comparat illud praeterea

terea niui ac pluuiae, *Ef. LV, 10. 11.* כאשר ירד הגשם והשלג מן השמים ושמה לה ישנוב כי אם הרוה את הארץ והולירה והצמיחה ונתן זרע לזרע ולחם לאכל כן יהיה דברו אשר יצא מפי לה ישנוב אלי ריקם כי אם עשה *Quemadmodum descendit imber et nix de coelis, illucue non reuertitur, sed irrigat terram, atque generare et progerminare facit illam, et dat semen ferenti ac panem edenti: sic erit verbum meum, quod egredietur ore meo; non reuertetur ad me inane, sed faciet id, quod volui, et prosperabitur, quapropter misi illud.* Etenim vt nix et pluuia tellurem rigant et reddunt frugiferam: ita et verba Dei mulcent mortaliu pectora, ac fructus operantur in ipsis iustitiae. Omitto similitudines sanctissimi Seruatoris nostri, satis aptas, *Luc. VIII, 4. seqq.* vbi verbum suum cum *femine* contendere, ipsi placuit. Semen perpetuo vi pollet interna progerminandi, et pro varia telluris indole, fructus proferendi vberiores. Perinde sermo Dei nostri, *σπορα αφθαρτος και λογος ζων* ille, interna virtute instructus est, semper, sparsus in mentes mortalium, fructus fert, fructus, inquam, vberimos. Semen terrestre ac naturale nunquam sua destituitur efficacia in manu fatoris, quamuis impurioris: ita et diuina huius feminis coelestis virtus non seminatoris est dignitate metienda; sed semper est efficax, quatenus ipsius Summi Numinis est *vous* ac verbum, etiamsi conscleratus administrator id denunciet. Ac ne quis vim verbi propterea minuat, quod multi, illud tractantes, non credunt ac turpiter viuunt, eadem comparatio monstrat, non omnes agros esse adeo frugiferos, vt satus accipiant, qui adulti plurimos fructus ferant.

Nec tandem adferam illud, quod omnium omnino nobilissimum, et, pro summa verbi Dei virtute adferenda, est firmissimum sane argumentum, atque inde petitur, quod S. Spiritus hocce cum verbo semper est coniunctus. Quis autem crederet sanctum hoc flamen otiosum? Quis addubitaret, nec sibi certissime



haberet persuasum, illud esse operosissimum? Hinc absit, Sanctissimum hunc Spiritum accedere inter orandum demum atque legendum, quippe qui potius adest perpetuo, et operatur in cordibus auditorum, lectorumue, licet plerumque obicem ipsi ponant iniqui gratiae contemptores. Quod autem, ut potentiae huius Spiritus aliquid deroget, tantum abest, ut potius veram eius indolem dilucidius ponat ab oculos, suadentem magis, quam cogentem.

Sed haec omnia iam iam missa facimus, vnico tantum argumento, paullo vberius quidem tractando, contenti, quod quidem, quale sit, et quantum roboris habeat in hac oraculorum virtute adstruenda, penes alios erit iudicium. Desumimus nimirum illud *a celeritate conuersionis hominum per verbum Dei saepius effecta atque obseruata*. Quo saepius eam sum miratus, quoties stupendum religionis nostrae cursum mecum reputaui, Deique digitum venerabundus agnoui, hoc nitar diligentius, ut pro ingenii mediocritate, illam persequar, omnes demisse rogans, ne hanc opellam tam doctrinae copia, ad quam, hoc tempore, quantum possum, contendo, quam religione in Deum, atque *in huius Fidelissimum Praeconem obseruantia*, aestiment.

Ante vero, quam ad ipsam huius sententiae nostrae probationem pergimus, peropus sane mihi videtur, ut, quid nobis *verbi notione* hic velimus, adcuratius ponamus ob oculos. Complectimur nimirum ea voce omnem diuiniore reuelationis, in litteras a Θεοπνευστοῖς redactae, ambitum. Quare non modo *lex* diuinitus lata, verum *laetus* etiam ille de Christo, Sospitatore, *nuncius* huc pertinet. Quo autem mens nostra clarius percipiatur, de singulis nunc figillatim agendum videtur.

*Lex* itaque nobis dicitur actionum humanarum norma a Deo reuelata ac hominibus promulgata. Deus est dominus in res creatas absolutus, quippe quem omnes auctorem suum venerantur. Quare etiam voluntas eius pro arbitrio de iis disponere

nere et leges ipsis figere potest, cum obligatione ad actiones  
 suas iisdem conformandas. Leges has protoplastis in creatione  
 ipsa partim indidit vniuersi auctor, partim significauit ita, vt  
 intellectus insigni ipsius Numinis Summi et cultus ei praestandi  
 gauderet scientia, voluntas etiam sancte obsequeretur omnibus.  
 In quo praestantissimae statu felicitatis homo omnino vitam, his  
 legibus consentaneam, poterat instituere, eaque ornatus vita  
 potiri sempiterna. Id enim est, quod Stephanus ille *πρωτομαρτυρ*  
*Act. VII, 38.* λογια ζωντα eas adpelleat, et d. Paullus *ad Rom.*  
*VII, 10.* expressis adstruat verbis, eas *εις ζωνη* hominibus a Deo  
 esse datas. Exinde satis superque primam legis vitam atque  
 virtutem cognosces, quam per se et in sua natura habeat, quam-  
 uis mortales, perdita nunc illa Dei conformatione, eam haud  
 amplius experiantur, cum, quae praecipit, agere nequeant, et quae  
 vetat, omittere non possint. Hinc est iam iam post Adae lapsum  
 lex infirma in homine, vti Paullus *ad Rom. VIII, 3.* loquitur,  
*ασθενει δια της σαρκος, infirmata est per carnem.* Quae autem  
 infirmitas non est ipsius legis, sed hominis, qui eius virtutem  
 deprauata sua natura capere haud potest. Lex equidem ostendit,  
 quid ipsi sit agendum; addit rationes mouentes, videlicet gra-  
 tiosas Dei promissiones; commonstrat, quid omittendum, ac  
 deterret comminationibus grauissimis. At haec non sufficiunt,  
 pro tristis huius mortalium status indole. Defunt vires spiritua-  
 les, quas cum diuina imagine perdidimus.

Interim tamen legem diuiniorem nunc non omni priuamus  
 in hominum animos virtute. Gaudet enim vi, quam dicunt  
 praeparantem. Etenim ea nos, nostramque corruptionem na-  
 turalem clarissime reuelat, atque nos salutis desiderio adfectos  
 ad Iesum Sospitorem, compellit. Quod ne fundamento desti-  
 tuti dixisse videamur, audiamus testem huius veritatis, diuum  
 Paullum, qui *ad Gal. Cap. III. 24.* ita quidem scribit: *ωσει ο*  
*νομος παιδαγωγος ημων γεγονεν εις Χριστον, να εκ πιστεως δικαιωθωμεν,*  
*quocirca lex paedagogus noster factus est ad Christum, vti ex fide*  
*instifi-*

*iustificaremur.* *Ἐκδιδασκαλῶν* itaque, hoc in eloquio Apostolus vocat legem, ad Christum, cuius vocabuli mentem haut melius perspicimus, quam si ad scriptores veteres, eosque profanos, recurrimus. Graecis et Latinis paedagogi erant serui quidem, at insimul puerorum puellarumque ductores et doctores, quod ex illo PLAVTI <sup>a)</sup> satis superque adparet: *Nego tibi annis viginti fuisse primis copiam, digitum longe a paedagogo pedem ut efferes ex aedibus. Inde de bippodromo, et palaestra ubi reuenisses domum, cincticulo praecinctus in sella apud Magistrum adsideres, tum librum legeres, cet.* Exinde non modo videmus, duxisse hos seruos et docuisse pueros puellasque dominorum, sed etiam, eos summa, in hac disciplina sua, usos fuisse seueritate, id, quod alio adhuc ARISTIDIS effato <sup>b)</sup> confirmabimus: *paedagogi vero, ait ille, etiam cum barbarie quadam plerique ista docent.* Quemadmodum igitur hi paedagogi imbuebant suos rerum cognitione, ducebant, ac seuerius tractabant: ita et lex, vti iam supra posuimus, nos probe instituit de indole nostra deperdita, et minis suis grauissimis ad Christum Seruatorem permouet.

Postea vero, quam homo ad frugem rediit, ac meliorem iam iniuit viuendi rationem, magis magisque haec legis virtus in ipso conspicitur. Nam, vt fides ipsi collata in regeneratione otiose quiescat, tantum abest, vt multis potius bene factis vitam suam cuiuis ponat ob oculos. Haec autem praeclare facta, quae, viribus a Spiritu S. sibi donatis, peragit omnia, legis normam semper sequuntur.

Ad alteram verbi diuini partem progredimur, quae est *euangelium*, seu doctrina illa laetissima de hominum redemptione a Iesu praestita. Huius virtutem seruandi homines insigniter stabilit locus ille S. Paulli, supra iam adductus, *ad Rom. I, 16.* vbi euangelium *δυναμιν τῆς Θεοῦ εἰς σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστευόντι* adpellatur. Atque id

a) Quod existat apud LAURENT. PIGNORIVM *de Seruis*, p. m. 116. seq.

b) Vid. Id. pag. 117.

id iure suo dici omnino meretur. Gaudet enim illud virtute, mortales ad aeternam *vocandi* salutem, per Christum nobis recuperatam, dum eum nobis obfert, et obsequentibus promittit, 2. *Tim. I, 9.* quod lex minime poterat, quippe quae Christum ignorat, ac verbum irae est. *Illuminandi* porro habet virtutem, dum Iesum vberius docet, salutis omnis auctorem; dum ostendit, qua via ad sidera eundum. Quam ob rem etiam Paullus 2. *Cor. IV, 4.* Φωτισμον *illuminationem*, eamque hoc loco, *actiuam*, illud nuncupat. *Regenerat* tandem homines, dum viribus credendi in Christum ornat eos, et consensum in bona, per Christum parta, nobisque oblata, efficit. Quod clarissime docet Iacobus, testis ille Christi, *Cap. I. 18.* vbi habet ita: Βληθεισ αποκευησεν ημασ λογω αληθειασ, εισ το ειναι ημασ απαρχην τινα των αυτη κτισματαων, *volens genuit nos verbo veritatis, vt nos essemus primitiae quaedam eius creaturarum.* Cuius oraculi mentem VIR MAXIME VENERANDVS, cui pagellas hasce sacras esse volo, in disputatione, pro capeendis hodie summis in Theologia honoribus, inaugurali vberius, idque satis erudite, exposuit, ad quam nos nunc ablegamus. Atque haec de verbi notione dixisse sufficient.

Iam vero porro ostendendum, qua mente, hoc in loco, conuersionis vocabulo vtamur. Varios omnino, constat, illam admittere significatus, sicut admittit regeneratio, cuius ex parte Synonymon esse, offendimus. *Latissime* enim omnem hominis mutationem solet, tum internam, tum externam, denotare, qui autem sensus non tam biblicus, quam ecclesiasticus est, quippe quem fouent pii nostri confessores in *F. C. LL. SS. p. 675. sqq.* Hoc enim certissimum est, in vera conuersione immutationem, et motum fieri oportere in hominis intellectu, voluntate et corde, cet. *Strictius* designat emendationem hominis internam, quae *vocatione, illuminatione, conuersione, regeneratione*, absoluitur. *Strictissime* vero significat modo humanae emendationem voluntatis, ita, vt opponatur illuminationi, quae emendat intellectum. Nos quidem hic significatum tuemur *medium*, qui maxime biblicus

est. Sumitur porro vocabulum hocce vel *transitiue* vel *intransitiue*. *Transitiua* conuersio ipsam conficit gratiosam S. Spiritus actionem, homines conuertentem; *intransitiua* autem, f. *passiua* est, vbi homo non resistit ei, sed admittit, quod operari vult, et actu operatur omnis gratiae Spiritus. Nos significationem coniungimus vtramque, magis tamen transitiuam, seu actiuam, spectamus, nunc de medio conuersionis maxime disputantes.

Praeterea quoque hic non praetereundum iudicamus, conuersionem, cuius si respiciuntur adfectiones, esse successiuam, idque ordinarie; quamuis negandum non sit, subinde etiam extraordinariam, progressum eius si spectas, non initium, nec primum motum, temporis successu absolui, id, quod potest *Act. IX, 6.* in primis, *sqq.* perspicui ipsius Paulli exemplo. Ordinaria itaque praesertim est, quam successiuam esse, nunc contendimus. Cuius vero successione ratio est in promptu. Quum enim multa saepius, magnaue obstant impedimenta, quae huic se opponunt conuersioni, atque in causa sint, cur nunc tardius admittatur, nunc diutius retineatur, nunc vel plane tollatur ea, quis, quaeso, obstacula eiusmodi prius remouenda esse, quam ipsa sequatur conuersio, non videat? Atque, haec sine summo studio atque labore magno superanda esse, quis vel arbitretur?

Nec tamen ita semper feliciter succedit conuersio, vt eodem temporis interuallo peragatur in omnibus; sed in vno celerius, tardius in altero efficitur, quid? quod in plurimis saepius plane non potest obtinere. Tantum vero abest, vt huius rei culpa in Sanctissimum conuersionis Auctorem transferatur, vt in ipsius hominis potius, gratiosae operationis huius quippe subiecti, indolem satis diuersam recidat omnis. *Hic* enim mortalium vsque adeo malitia sua progreditur, vt prae fracte resistat, repugnetque et impediatur, quo minus celerius actionem hanc in ipso Dei Spiritus perficiat salutarem. Quid mirum, si inde hominis eiusmodi longius protrahatur conuersio, quae non, nisi sublata resistencia,

sistentia, locum tenere potest. *Iste* prae suis frena remittens cupiditatibus, et quibusvis peccandi generibus indulgens eo ruit scelerum, ut inde peccandi habitus in dies exoriatum adauctus, et peccare ipsi tandem abeat in consuetudinem, alteram quasi naturam. Quantum, bone Deus! hic requiritur operae, quantum temporis, ad impedimenta haec sane grauissima de medio tollenda? Quantum laboris est, hominis istius, satis nunquam deplorandi, eo adducere mentem, ut attentas S. Spiritui praebeat aures? Desuescere enim, quam aduescere, nonne est difficilius? *Ille* contra in omnia abijt alia, eaque meliora. Fideliter utitur medijs, quae esse voluit, ad finem hunc adsequendum, summa Numinis diuini sapientia, verbo nimirum reuelato ac sacramentis. Quae quidem tanti semper aestimat, ut ad ea, quae ipsi *illud* tradit, studiose aduertat animum, arripiat, applicetque sibi firmiter, et quae *haec* conferunt aequae atque obsignant tandem in ipso, recipiat, magnoque studio semper custodiat. Atque is quidem medicinam hanc saluberrimam statim adhibet animo, qui eius beneficio sanatur, et in pristinum facile restituitur. Quae vero nunc adseruimus de temporis conuersionis diuersitate, quod quidem vere dicta sint, egregie testentur duo illa, commemoratu dignissima, Lydiae, Thyatirenae mulieris, *Act. XVI, 14.* et filii deperditi, *Luc. XV.* exempla. In *illa*, minus resistente, quam primum obtinuit conuersio, cum in *hoc* criminibus aduofacto, magnum opus, magnus labor fuit?

Iam vero iure meritoque illa mouetur quaestio, num repentina haec in mortalibus mutatio morali solummodo uerbi uirtute perficiatur, et ita rationes, quas uocant mouentes, in eo proposito, eandem sua efficacia producant? Quod neutiquam concedere licet. Alias enim eadem uerbi diuini, quae humani, esset indoles. Supernaturali potius peragitur uia, a S. Spiritu collata, quem semper reuelato cum uerbo operari, certa fide tenemus. Cuius inde beneficio hoc inter uerbum, interque sermonem nude humanum, tantum intercedit discriminis, ut illud uia





polleat quadam supernaturali, quae mortalium potest melius docere intellectum, ac voluntatem citius allicere ad obsequium, quam humana verba vllō modo valent.

Nunc ad ipsam sententiae demonstrationem propero. Neminem autem fore, existimo, qui exemplorum vim atque virtutem, in collustranda illa, non credat maximam. Quare iam quoque operae pretium duxi, si quaedam hic ante paullo vberius deducere. Duo illa potissimum erunt, quorum prius *e gente Iudaica*, posterius *ex idolorum repetam cultoribus*, quorum vtrique magna sane copia per Dei verba, spe omnium celerius, id quod omnes etiam nunc mortales admirantur, fuerunt conuersi.

*Iudaeorum* multa quidem possent excitari exempla, cum primis singulas si spectas personas, qui, expectatione citius, placita Iesu secuti, hanc salutarem in se mutationem perceperunt. At nullum tamen memorabilius, et adcurata nostra disquisitione videtur dignius, illo, quod nobis *Act. II.* a S. Luca enarratur. Hoc enim non solum numerus commendat eximius, sed summa etiam, quam nos praecipue iam attendimus, conuersionis celeritas. Quo autem omnia maiori luce radient, *facti summam ac statum, qui antecessit*, eorum, curatius pensabimus. Conueniunt Pentecostes die testes Domini in domo quadam priuata. Hic repente omnia percrepat sonus, tempestatis instar sonorae, quae domum replebat totam. Resplendet coenaculum flammulis igneis, ac Spiritus S. in singulis infidet Apostolis. Omnes igitur S. Spiritus completi nouis differere linguis coeperunt, prout Spiritus facultatem cuique erat largitus. Concurrent sonitu isto percussi, e quavis gente, Iudaei, Hierosolymis habitantes cum iis, qui ibi tunc temporis versabantur, ac summa cum admiratione, magnoque cum stupore, sua quisque lingua eos *μεγαλεα τσ Θεσ* depraedicare audit. Istos autem religione fuisse Iudaeos, paucis iam ibimus confirmatum. Vocat illos S. Lucas expressis verbis comm. 5. *Ιουδαιους κατοικησαντας εν Ιερουσαλημ,*  
ex

ex quo non modo ad oculum patet, eos re vera Iudaica e gente fuisse, verum maximam etiam partem Hierosolymis iam habitasse. Versu II. ipsi nobis religionis suae exhibent confessionem, vbi Iudaeos ortu et Profelytos e gentilium superstitione ad Iudaeorum sacra conuersos sese adpellant. Hinc etiam Petrus eos adloquitur *comm. 14.* vt Iudaeos, *ανθρες*, inquit, *Ιουδαιοι, και οι κατοικωντες Ιερουσαλημ απαντες*, κ. τ. λ. totumue, qui sequitur, sermonem, ita instituit, vt, cum Iudaeis ipsi rem fuisse, facile intelligamus. Ad *statum*, quod attinet eorum, *qui antecessit*, mihi ille *duplex* potissimum videtur. Narratur ille nobis *comm. 12. 13.* vbi quidem *alii* anxio voluebant adhuc animo miraculum eadem die factum, ac sciendi cupidores euentus eius prouidere exoptant, dicentes: *τι αν θελοι τουτο ειναι; quid hoc sibi velit?* Hi quidem mihi videntur religiosiores, quare etiam non flocci pendunt prodigium factum, et ita fiunt magis idonei ad recipiendam Spiritus S. gratiam conuertentem. *Alii* contra Apostolos obstinata ridet malitia. Vocant illos adeo *μεμεσωμενους γλευκους*, *vino dulci plenos*. Quam vero calumniam eorum egregie retorquet Petrus, cum iis v. 15. ostendit, fieri hautquaquam posse, vt, tempore hoc matutino, hora videlicet a solis ortu tertia, qua preces sollempniter in templo fieri solebant, quod ieiuni adire consueuerant Iudaei religiosiores, multo vino laborent: *ε γαρ*, inquit, *ως υμεις υπολαμβανετε, ουτοι μεθυσων εστι γαρ ωρα τριτη της ημερας*, *hi enim, vti vos accepistis, non sunt ebrii; est enim iam hora diei tertia.* Praeterea, etiamsi daremus, eos vino fuisse sopitos, ane quaeſo vinolentiae mirabiles hosce effectus attribues? ane ista efficeret, vt variis iam vterentur Apostoli linguis? quod absurdum. Interim tamen exinde conficitur, fuisse hos quidem homines leuios, miraculi naturam minus pensitantes, peruicaces, et haud absque magna repugnantia accepturos S. Spiritus operationes saluberrimas. Iam Petrus prodit *in concionem*, ac multa eloquentia amplificat hanc Spiritus S. effusionem. Ostendit iis ex V. Test. vaticinium illud Ioelis, nunc

demum adimpletum, quod multis saeculis ante de T. N. temporibus dederat vates. Repetit cruentam Sospitatoris nostri necem, quae quidem recenti adhuc eorum haerebat memoria, cuiusque auctores eos infimul nunc constituit. Confirmat tandem etiam gloriosum eius e morte reditum, atque ex his omnibus portentis adhuc factis, Iesum verum esse Messiam, demonstrat. Loquitur vero vir *Φερομενος υπο πνευματος αγιου*. Quis itaque nunc verborum suorum futurus est *exitus*? Notabilis sane contigit eis, nec alius, nisi, qui inde expectandus erat, optimus. Nunciatur ille nobis *comm. 37.* vbi verba sequentis sunt tenoris: *ακυσταντες δε κατενυγησαν τη καρδια, ειπον τε προς τον Πετρον και τας λοιπους αποστολεις τι ποιησομεν, ανδρες αδελφοι, audientes compungebantur corde et loquebantur ad Petrum, ceterosque Apostolos: quid faciamus, viri, fratres?* Adeo summo animi adficiebantur dolore homines isti, qui Apostoli verba coram acceperant, id, quod voce *κατενυγησαν* satis emphatica, luculenter adparet, quam cordis debilitati compunctionem atque contritionem indicare, non temere existimamus. Persuasi de veritate orationis Petrinae, Iesum verum esse Messiam, credunt, et animo reuocant iniuriam, quam ipsi cruci figendo nefarie intulerant. Agnoscunt demisse scelus istud nefandum, cui ipsi hac re sese adstrinxerant. Sentiant pectore suo irati fulmina Dei, quem, crimina sua admissa nunc grauiter persecuturum esse, putant. Anxius hinc eos tenet animus, et vehementi salutis, in qua consequenda adhuc haesitabant, desiderio lati Petrum adgrediuntur, atque ex illo, reliquisque Apostolis quaerunt, quid nunc factu opus ad salutem? Commendat ipsis Petrus, omnium verbis, poenitentiam ac baptismum: *μετανοησατε, inquit ille v. 38. 39. και βαπτισθητω εκαστος υμων επι τω ονοματι Ιησου Χριστου εις αφεσιν αμαρτιων, κ. τ. λ. resipiscite et baptizator unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum, cet.* Offendimus his verbis non modo egregium pro confirmando paedobaptismo argumentum, quod natiua *vocis τεκνων* significatione super-

superstruimus, sed iustum etiam omnis nostrae recuperandae salutis videmus ordinem. Cui enim consilio qui obtemperant, sacro hoc lauacro abluuntur, ac sese verae adiungunt ecclesiae, numero circiter tria hominum millia, id, quod distincte prodit *comm. 41.* vbi S. Lucas βαπτισθησαν, refert, και προσετεθησαν τη ημερα εκεινη ψυχαι ωσει τετρακισια, baptizati adnumerabantur die isto animarum circiter tria millia. Hem, quantus mortalium numerus, qui vi solummodo verborum, quae vir hiccine, diuino agitatus adflatu, coram iis protulit, ad frugem redierunt! Hem, quanta etiam celeritate conuersionem eorum effecit ille sermo! Quis inde summam quamque, quin supernaturalem plane virtutem diuinioribus largiendam esse oraculis, diffiteatur? Anne hominis nudi oratio, quae modo cunque fit, quam bene etiam composita, eundem, tam breui temporis interuallo, in auditorum animis adsecutura fuerit effectum. Neque est, quod nobis sinistre, vel satis temere regeratur, commemoratam Iudaeorum horum conuersionem fuisse mere simulatam aut eiusmodi, quae προσκαιρων esse plerumque solet. Adeamus vel *comm. 42.* vbi dicuntur hi magno numero conuersi, in Christi doctrina perseuerasse, vti fontis verba sunt: ησαν δε προσκαρτερευτες τη διδαχη αποστολων, κ. τ. λ. erant perseuerantes in doctrina Apostolorum. Ex quo eloquio, non fucatam, sed veram fuisse eam, satis liquet. Nam, ipsa eloquente voce προσκαρτερειν, cum tolerantia ac perseuerantia quadam veritatis diuinioris, a Iesu legatis acceptae, institerunt doctrinae. Omnes vires, gratiose a Deo concessas, adhibuerunt, vt in pietatis studio, cui se totos iam tradiderant, essent seduli, illudque recte semper peragerent.

Ad alterum nunc progredimur, quod e profana gentiliū turba desumpsimus, exemplum. Nemo autem, vt opinor, ibit inficias, multo difficiliorem fuisse horum conuersionem, cum, reuelatione specialiori eos fuisse destitutos, compertum habeamus. Carebant nimirum Vet. Instrumento, quod iis, vti Iudaeis, ex perpetuo doctrinae salutaris consensu, et exactissima vati-



vaticiniorum impletione, salutis viam monstrare atque pandere debebat. Nihil ipsis itaque erat reliquum, nisi lumen rationis, idque post lapsum multis obfuscatum tenebris. Valde corrupta inter eos erat sana ratio, quod exemplo tot sectarum inter Philosophos conspici potest quam luculentissime. Omnes ferme dubitabant de animi immortalitate; alii eum cum corpore vna extinguere somniabant. Atque hoc errore non exiguae tantum eruditionis viri tenebantur, sed summi adeo doctores ac lumina gentium splendida, quorum in numero reponimus SOCRATEM, PLATONEM, ARISTOTELEM, CICERONEM, alios vt nunc taceamus. Et quid inde aliud proficisci poterat, quam vita sceleratissima, cum, impios post decessum nulla manere vitiorum supplicia, sibi persuaderent? Resurrectionis doctrinam plane ignorabant, quare Paullum rident Athenarum ciues, *Act. XVII, 32.* cum eius in oratione sua fecisset mentionem. *Ακισταντες δε αναστασιν νεκρων*, relatum ibi legimus, *εχλευαζον*, *audientes autem resurrectionem mortuorum, cauillabantur*, cet. Ludibrio ipsis adeo erat illa, quare CELSVS apud *Origen. p. 240.* *την σκολιων ελπιδα, spem vermium*, nominare haut erubuit. <sup>c)</sup> Non altius indagabimus vitam eorum, cuius indolem sapiens quisque mente sibi concipere poterit, reiectis his summi momenti doctrinis. Quam, quaeso, absurdas fouebant sententias, dum scorta, adulteria, detestabilem puerorum amorem, et, quae haec concomitantur saepius, plura dicta turpia, et maxime nefanda flagitia, non modo concederent, <sup>d)</sup> sed diis adeo gratam hoc esse contenderent. Caussam reperies *Rom. I, 23. sqq.* In primis ludibrio illis erat salus hominum per Christum cruci adfixum recuperata, quod plane perspicere non poterant, quomodo homo, infami extinctus supplicio, homines seruare posset. Quare d. Paullus *i. ad Cor. I, 23.* conqueritur, *μωριων, stultitiam*, hoc Graecis videri. Ex

<sup>c)</sup> Vid. ARTHUR YOUNG in *historischer Vntersuchung abgoettischer Verderbnisse der Religion von Anfang der Welt*, pag. 402.

<sup>d)</sup> Vid. *Id. l. c. pag. 403. sqq.*



his omnibus pestiferis sane gentilium opinionibus, cum non solum animi immortalitatem, ac resurrectionem mortuorum repudiauerint, verum etiam doctrinam, in qua omnis salutis nostrae cardo vertitur, doctrinam puto, de Christo, mundi praede ac Sospitatore, stultitiae adeo inoufarint, tuto colligere possumus, conuersionem eorum fuisse quam difficillimam. Nihilo tamen minus hic verbi virtus maxime fit conspicua. Remouentur enim impedimenta haec omnino grauissima, ac gentiles plures, quam Iudaei, veritatem euangelii agnoscunt. Magna celeritate ingens profanarum gentium multitudo sanatur, et ita, reiectis Iudaeis, fiunt Dei populus, quod ipsi Paulo *ad Rom. XI, 33.* stupendum videtur, vbi ita crumpit, *ω βαθος πλετα και σοφιας και γνωσεως Θεου ως ανεξερευνητα τα κρηματα αυτε, και ανεξιχνιασαι αι οδοι αυτε; o profunditatem diuitiarum et sapientiae et cognitionis Dei! Quam imperscrutabilia iudicia eius, et imperuestigabiles viae eius!* Qui nullo antea argumento, quamuis grauissimo, de certissimo mortalium olim reditu in vitam erant conuincendi; quorum voluntas nullis commoueri poterat rationibus ad meliorem vitae rationem ineundam: hi, vix audita euangelii praedicatione, de veritate doctrinarum Iesu arguuntur, conuincuntur, persuadentur, ac vitam, placitis Iesu consentaneam, ingrediuntur. En vim! en verbi efficaciam! En quoque conuersionem istorum quam celerrimam, quae ipsa vim verbi Dei atque virtutem efficacissimam egregie probat! Quanta enim celeritate euangelii praedicatio per totum, quantus quantus est, terrarum orbem fuit sparsa? Quam primum vniuersi huius incolae conuersionem suam admiserunt? Testem ipsum habemus Paullum, qui *ad Coloss. I, 23.* *ευαγγελιον*, inquit, *κηρυχθη εν παση τη κτισει, τη υπο τον κρανον, & εγενομην εγω Παυλος διακονος, euangelium praedicatum est inter omnem creaturam, quae infra coelum est, cuius factus sum ego, Paullus, diaconus.* Atque hunc locum profanas maxime respicere gentes, quae phrasi, *εν παση τη κτισει, τη υπο τον κρανον*, innuuntur, sole meridiano videtur clarius, cum ipsissima Paulli verba id eloquantur: *& εγενομην εγω Παυλος*  
C διακο-

*διανοος*. Quis autem, Paullum gentiliū maxime doctorem fuisse, ignoret? At enim vero in tanta hominum copia, quorum conuersionem Dei verba, spe omnium citius, accelerarunt, non tantum vulgus profanum, sed, quod caput rei est, nobiliores quoque homines admiramur, qui ad sequenda Iesu castra pertinaciores et difficiliōres fuerunt putandi. Etiam hi magno satis numero Christo sua dederunt nomina, vti TERTVLLIANVS <sup>e)</sup> *vestra*, inquit, *omnia impleuimus, vrbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola templa reliquimus.*

Praemissis his exemplis, vt maiorem rei adfundamus lucem, nunc ad rationes accedamus, quibus sententiam nostram magis magisque sumus firmaturi. Primo loco iure meritoque contendimus, *librum* istum, qui non modo *doctiores*, sed *imperitos* quoque instituit, non sola vi morali, quae argumentis et mouendi rationibus se tantum exferat, pollere, verum etiam supernaturali, quam ab ipso Deo habet, a primo inde inspirationis actu, praeter vim naturalem, secum communicatam. Quod si enim moralis illa virtus ratiocinationibus innititur, quibus antea reuelationis specialioris colligimus notas, quas deinde in sacro codice conspiciamus omnes, indeque concludimus, eum, non modo pro vera reuelatione, eaque propiori, esse agnoscendum, sed eidem propterea quoque fidem habendam: sequitur omnino, vt rudes ac imperiti plane incapaces sint huius verbi diuini efficaciae, vtpote qui non tanto ingenii sunt acumine, quanto ad penetrandam eiusmodi argumentorum vim opus est. Non talibus vtuntur ratiocinationibus, nec per imbecillitatem ingenii, summamque simplicitatem vtī possunt. Si itaque, in excultis tantummodo ingeniis, ad res diuinas cognoscendas expectandasque, natura sua aptis, vim suam exferere, videremus, sacras litteras, ambabus largituri essemus, eam solam moralem esse. Ast contrarium non modo exemplis, supra paullo vberius tractatis,

e) In *Apologet*, Cap. XXXVII.

Etatis, sed etiam ipsius Spiritus S. testimoniis comprobari poterit. Plurimam sane partem auditorum Petri ex imperita plebe Iudaica fuisse, nulli dubitamus. Vix enim coniecere licet, complures interfuisse sacerdotes, aut alios, eruditionis laude conspicuos, quorum omnino S. Spiritus, tanquam rei, memoratu dignioris, certe non omisisset facere mentionem. Ac tamen praeter spem a Petro persuasi Iesum verum Messiam agnoscunt, non solis argumentis conuicti, quorum robor sine dubio perpauca penitus intellexerunt, sed, S. quoque Spiritu, eorum animos praeueniente, ac deinde per verbum illuminati et edocti meliorem viuendi rationem cupiunt instituuntque. Quod non minus quoque valet de gentium multitudine, quarum plurima pars intellectus tenebris, ac voluntatis vitiis, indurata plane laborabat. Et nihilo tamen secius de religionis Christi veritate per Apostolos tam breui temporis spatio persuadentur, vt laeti eam amplectantur, et ad Iesu nostri placita vitam suam componant. Ad testimonia diuini verbi quod attinet, primum cogitanti occurrit illud *Psal. XIX, 8.* vbi ita se habent verba: תורת יהוה תמימה משיבה נפש ערות יהוה נאמנה מחכימה פתי  
*lex Domini perfecta, conuertens animam, testimonium Domini fidele, sapientem efficiens simplicem.* Vides itaque, quod summa sapientia instruat verbum Dei etiam imperitissimos, vero videlicet timore Dei. Alium locum repetamus ex *2. ad Timoth. III, 15.* vbi Paulli ad Timotheum ita fluunt verba: απο βρεφους τα ιερα γραμματα οιδας, τα δυναμενα σε σοφισαι εις σωτηριαν δια πιστεως, της εν Χριστω Ιησου, a puero sacras litteras nosti, potentes te sapientem reddere ad salutem, per fidem illam in Christo Iesu. Hic expressis adserit Paullus, Timotheum απο βρεφους sacras iam sciuisse litteras. Si vero infans capit iam iam salutis doctrinas, cuius tamen intellectus arctis adhuc circumscriptus est limitibus, liquet omnino, eas non solos sapientiores, verum simplicissimos quoque illuminare atque conuertere. Atqui ex his omnibus nunc facile erit perspectu, non morali solummodo, sed supernaturali etiam vi gaudere Summi Numinis oracula.



Deinde procul quoque dubio illi supernaturalem vim tribuimus *libro*, qui tradit, quae *supra* sunt *rationem*, imo vero *cupiditatibus nostris valde ingrata*, neque eo secius *mortales* tamen *seclit*, tam *ad fidem* quam *ad obsequium*. Quod si enim alibi intellectus offendit obscuriora, quae penetrare haut valet, tantum abest, ut iisdem adfentiat, ut potius fere omnem eis deneget fidem. Omnes, natura proclives ad voluptatem peccandi, eandem nimium sectamur, quare etiam voluntas aegre ac difficulter paret praeceptis, quae nos ab illa auocare solent. Scriptura S. nobis tremenda exponit mysteria, quae omnem rationis humanae sphaeram longe excedunt, quale mysterium SS. Trinitatis est. Sed quaeso, numne ideo, quod ea non penitus perspecta habemus, reiicimus? Minime, absit iniurium facinus. Venerabunda semper mente acceperunt ea, iisdemque fidem habuerunt tot mortalium millia. Sed unde haec fides? Certe non ex natura, penitus eam recusante, verum a S. Spiritu per verbum producta sit, necessum est. Quot quaeso sacris pandectis habentur doctrinae, quae nostris semper ingratae esse solent cupiditatibus, quarumque vnam alteramue nunc adduxisse sufficiat. Iubet nos Sospitator Optimus hostes nostros aequae ac nos amore prosequi. Debebimus igitur perfectionibus eorum nihil adferre obscuritatis, verum extollere illas potius, exque iis eosdem aestimare. Nostrum erit, non malum malo referre, sed fausta quaeuis adprecari, quid? si in nobis situm est, bona iisdem conferamus. At arduum hoc, quis sibi relictus mortalium ab se impetrare potest, ut hilari fronte accipiat mandatum? Quam aegre fert illud deprauata hominis natura? Praecipitur porro abnegatio nostri, uti non modo, quouis tempestatis casu, in Dei voluntate acquiescamus, verum etiam, si ita eueniat, omnem bonorum iacturam aequo feramus animo. Adnunciat calamitates Christi doctrina omnibus, quotquot vitam exacte ad eam conformare volunt. Haec omnia minus iticunda nobis esse, quis est, qui vocet in dubium? Et tamen per verbum excitati sunt ad sectan-

sectandam hanc abnegationis virtutem quam celerrime saepius mortales, qui adhuc lubentissimo quoque animo eidem dant operam. Laeti recipimus omnis generis calamitates, ad nos magis magisque purgandos, a Patre coelesti immissas. Hinc quis est, qui non intelligat, hoc supernaturali verbi diuini virtute effici, quod contra deperditae naturae indolem in nobis accidit.

Tandem *subiectum*, quod per verbum conuertitur, paullo adcuratius consideratum, nouas adfert nobis rationes. *Subiectum* constituunt *homines impii*, quorum nunc partim *intellectum*, partim *voluntatem* spectabimus. Ad intellectum eorum quod attinet, pessimis illum obuolutum quasi videmus praeiudicatis opinionibus. Quemadmodum autem hae in genere vim cognitionis atque incrementa maxime impediunt: sic etiam in salutis doctrinis a veritate nos longe abducerent, ita, vt in iisdem adeo alucinari saepissime deberemus, nisi haec verbi virtus eas nostro animo extirparet. Quod si difficultatem deponendi eas, in communi vita, probe attendimus, omnino exinde quoque facile elucet vis verbi diuini summa, eaque supernaturalis. Voluntas maxime deterior reddita est, et adeo peruersa, vt, magnam sane partem, mortalibus facinora in habitum iam abierint. Quanta autem cura, quanto labore opus sit ad deponendos habitus vitiosos, qui non, experientia magistra, iam compertum habeat, fore, credo neminem. Rectum itaque ducit calculum, qui, non modo tot, verum plures etiam, in exercitio boni consumendos esse annos, contendit, quam prius in exercitio mali consumti fuerant, si inueteratum eiusmodi habitum eradicare velimus. Quis enim sibi conscius non sentiat, quantum nobis semper indulgeamus, neque vix, ac ne vix quidem, nobis ipsimet imperare possimus? Praeclare CICERO, *est in animis omnium fere, inquit, natura molle quiddam, demissum, humile, eneruarum, quodammodo et languidum, senile. Si nihil aliud, nihil esset homine deformius.* Quare vix aliter fieri potest, quam, vt multo  

C 3

sudore,

f) *Quaest. Tuscul. II. 21. pag. 340.*



sudore, quid? quod multo tempore, in iis exuendis, sit adlabo-  
 randum. At iam vero verbum Dei, etiam tanto temporis inter-  
 uallo, numne indiget? Minime, sed summa potius celeritate  
 vim suam exserit, cum intellectus tenebras dispellit spississimas,  
 ac pie viuendi consilium excitat. Quod quidem videre licet  
 primum *in Iudaeis*, in quibus illud tam cito regni istius mundani  
 praeconceptam opinionem sustulit, quam credere vix potes.  
 Probe deinde nouimus, ipsos Iesu legatos, hoc errore diutius  
 detentos, per omnem Magistri sui vitam, sinistre de eius regni  
 indole iudicasse, id, quod innumeris fere Scripturae S. locis,  
 nec minus exemplo discipulorum Emmaunticorum stabiliri posset  
 luculentissimo. Quam vero celeriter, vberiore verbi doctrina,  
 erepta eisdem fuit falsa eiusmodi opinio? Etenim post effusum  
 Spiritum S. vix vestigium pestilentissimi huius erroris inter eos  
 offendimus. Quam horrendis tandem *profanae gentes* deditae  
 fuerunt flagitiis, quippe quae illas infra brutorum fere indolem  
 posuerunt? Prodit hoc aperte Romanorum, ante suam ipso-  
 rum conuersionem impietissimorum, exemplum, quos egregie  
 perstrinxit Paullus *in Epist. ad eosdem Cap. I, 26-31.* vbi ingen-  
 tem vitiorum turpissimorum numerum percenset, quibus ipsos  
 inquinatos viderat. Sine dubio, longiori quodam exercitio, in  
 habitus iam abierant pleraque. At num, quaeso, opus est  
 longa annorum serie, ad eos per verba Dei extirpandos, aut  
 crebra oppositi boni repetitione? Minime. Citissime potius  
 S. Spiritus per verbum inhibet atque infringit hos peccandi ha-  
 bitus; dat vires dolendi de iis, et credendi in Christum; et sic  
 celerius, quam vel putaueris, ad castra Iesu conuertuntur. His  
 praestructis omnibus, nunc demum satis superque intelligi exi-  
 stimamus, verbo Dei vim quandam insignem, quinimo super-  
 naturalem semper inesse, vt praestaret, quod vis mere moralis  
 nunquam effecisset.

Haec

Haec fere sunt,

VIR MAXIME VENERABILIS,  
 AMPLISSIME, DOCTISSIMEQVE,  
 FAVOR OMNI PIETATIS ET OBSERVANTIAE  
 CVLTV AETERNVM SVSPICIENDE,

haec, inquam, sunt, quae pro ingenii mediocritate de hac ardua  
 fati doctrina proferre potui. Quam quidem IPSE nuperrime  
 in disputatione inaugurali ita tractasti, ut quisque exinde sum-  
 mam, quae in TE est, eruditionem cognitam fati perspectam-  
 que, mecum admiretur. Quid vero nunc aequius, quid, quaeso,  
 videbatur iustius, quam, ut tanta doctrina publice fuis, quae  
 quidem iam diu sapiens quisque TIBI mente parauerat, con-  
 decoraretur ornamentis? Contigit ex omnium votis hac die,  
 qua Summos in Theologia Honores adsequeris. Atque hoc  
 etiam mihi quidem in primis laetandum videtur, quod talis  
 mihi iam animi grati testandi occasio oblata est, in qua oratio  
 nemini deesse possit. Praedicare nunc possem multa, de singu-  
 lari, eximiaque TVA eruditione, virtute, et in me beneuolen-  
 tia; sed certe huius orationis, difficilium mihi foret, exitum,  
 quam principium, inuenire. Quare non tam copia, quam  
 modus in laudando quaerendus erit. De singulari, qua ornatus  
 es, doctrina, vix multis verbis opus esse, credo, cum publicis  
 documentis eam cunctis iam satis superque posuisti ob oculos.  
 Quis est, quem fugiat summa TVA et rerum humanarum et  
 diuinarum scientia? Quis est, quem non pro rostris sacris  
 oratio-



orationis flumine allicias, suauitate delectes, pondere moueas, grauitate emendes? Omnium in TE coniciuntur oculi, ac virtutes spectant, quas colis, eximias. Atque ita merito omnes TE venerantur verae nec fucatae pietatis exemplum, quod ex praecepto Pauli imitentur, sane dignissimum. Omni eniteris ope, vt officiis erga Deum, sociumque satis facias, ne, alios docendo, Deo displiceas IPSE. Quam fortis et animosus adparebas in fortuna aduersa, diuinitus TIBI, idque saepius, immissa? Adhuc cum multis, quoties memoria repeto casum, quo, TIBI illud ereptum a Summo rerum humanarum Arbitro, vidimus, quo vix carius quidquam TVO pectori cogitari poterat, summam animi aequitatem, summam patientiam mirari soleo. At nolo haec iam amplius commemorare; sed tantum singularis TVI erga me fauoris dicere laudes, cuius tam vberes, tamque dulces hucdum repetii fructus, mihi quidem sumo. Quod si tristem rerum mearum hac in Academia faciem mente recolo, tunc demum magnitudo TVAE mihi adparet beneficentiae. Quam saepe me, consilii inopem, erexisti solatiis, vt deinde, nouis quasi viribus, quaeuis, etiam summa impedimenta ne metuerem quidem, sed forti quodam animo superarem, spe fultus meliori? At enim vero non consilio tantum, verum beneficiis quoque iuisti quam saepissime. Ac si bona abs TE in me collata mihi iam enarranda essent omnia, spatio prius, quam copia, destituerer. Probe autem noui, non eum TIBI, in bene faciendo, fuisse finem propositum, vt in illis longius recensendis atque diuulgandis operam nauarem. Longissime

giffime TV abes ab iis, qui laudum suarum praecones anxie conquirunt, et inuentos demum serena fronte excipiunt. Sed hoc TIBI potius curae cordique est, vt ne, peruerse locando, bene facta male facta euadant. Quomodo autem in me locaueris ea, penes TE, aliosque esto iudicium. Nolo enim de eo iudicare, in quo, amore nostri nimio inducti, facillime labimur. In eo potius totus ero, vt meum semper gratum animum, quauis data occasione, demonstrem. Et quo, quaeso, tempore fieri hoc possit opportunius, quo accommodatius, quam, quo TIBI vndiquaque plaudunt, ac felices gratulantur honores, quibus animi dotes eximiae hac luce ornantur? Arripio igitur hanc, gratum TIBI animum declarandi, occasionem, et has, quas obfero, pagellas, pietatis integerrimae, memõrisque mentis documenta statuo. Equidem, leue, nec TVA tam eximiae eruditionis viri persona satis dignum esse, haud ignoro. Quare quidem vereri merito debuisssem, ne, leui huiuscemodi munusculo, gratiam TVAM perderem potius, quam conseruarem, nisi satis habuisssem cognitum perspectumque, TE, FAVOR OPTIME, illud, non tam ex scribendi genere, dictionisque ornatu, quam mentis potius pietate, aestimaturum. Accipias igitur exiguum hoc gratiae mentis pignus beneuole, quo, mihi nihil antiquius, nihil iucundius, nihil exoptatius futurum, velim credas. Ceterum Deum Ter Optimum, Maximum adoro, vti TE, nouis hodie maatum honoribus, insigni orbis eruditi ornamento, egregio coetus sacri Vitembergensis subsidio, praestantissimo Domus TVAE solatio, et summo rerum mearum auxilio, per


D

multos





multos annos, seruet prosperum incolumemque! Atque cum, proh dolor! nostras adhuc regiones armorum, ferrique potestas perstrepat atque terreat, ille TE ab omni periculo tutum semper collocet, breuique nos omnes aurea sane pace recreet! Multos, quid? quod maximos, ex Dei consilio ac nutu sapientissimo, subis labores. Adsit itaque ipse TIBI virtute sua atque auxilio, ac largiatur vires, quae obeundo officio TVO, satis grauissimo, semper sufficiant, vt e negotiis his TVIS sanctioribus, in posterum aequae atque adhuc, fructus capiat quam saluberrimos grex Dei, curae TVAE traditus! Quo plus TVAE in me voluntati debeo, qua mihi nunquam defuisti, eo cupidius opto, vt me quoque in posterum, si TIBI ita videtur, certissimo TVO praesidio, ac fauori TVO propenso habeas quam commendatissimum! Meum semper esto, TE, TVAQUE praestantissima in me studia, ea, qua par est, pietate, iisque, quae in me cunque cadant, obsequii documentis, deuenerari, ac TIBI officia quaeliacunque mea, quamuis exigua, mihi tamen semper gratissima, quando iubes, praestare atque persoluere. Vale, VIR MAXIME REVERENDE! Hominis TIBI deditissimi cultum ne sperne! TVISQUE honoribus quam diutissime gaude!













fatuis illis Marianorum ignibus, cœlum adisse, invitus  
 acobe Auguste Thuane, (nullos huic nomini titulos ad-  
 scendit) & hanc mentem num in mortis etiam servavit  
 ac panegyri ediffere. Ita verò hic (f) ultima Caroli  
 usit: Nullâ re magis Carolus animi magnitudinem,  
 aulsula, quâ Vir, alios vincere asvetus, seipsum vicit, vitæ  
 xia, jam potiore mente agitans, antequam moreretur,  
 publicæ vixerat, sibi, ac Deo cœpit vivere. Itaque toto  
 n præcessit, in Hieronymianorum fratrum sodalitia,  
 intinò quòdam, qui ei à sacris confessionibus erat, præ-  
 tratis lectione se solabatur, & toto pectore in Deum re-  
 atur: se quidem indignum esse, qui propriis meritis re-  
 eret, sed Dominum Deum suum, qui illud duplici jure  
 reditate, & Passioni merito, altero contentum esse, al-  
 tujus donò illud sibi meritò vindicet, hâcque fiducia fre-  
 batur: neque enim oleum misericordiæ, nisi in vase fi-  
 ominis fiduciam esse à se deficientis & innitentis domi-  
 priis meritis fidere, non fidei, sed perfidiæ esse: peccata  
 entiam, ideoque credere nos debere, peccata deleri non  
 soli peccavimus, & in quem peccatum non cadit: per-  
 ccata condonantur.

n ad lentam tabem febris acuta accessisset, imaginem  
 tentidem in oculis, ulnis, ore & totâ mente complexus,  
 salutis suæ spem collocare declaravit; sumtoque viati-  
 t, dulcissime Servator, ut ego in te maneam: in quæ  
 m gloriosissima hinc vita defunctam DEO, qui dederat.  
*tenus Thuanus.* Non absque læto pietatis sensu hæc  
 res; Si hoc enim non est erroribus renunciare papais,  
 gelicâ, nescio quid sit. Revocant in memoriam. (quod  
 onendum duco) hæc ultima Gloriosissimi Imperatoris  
 e, & vitæ valedixit officii, *Mane in me dulcissime Serva-  
 am,* recentem aut antiquum (de cujus canitie me mo-  
*Creaturarum Domine Mancipium.* Hoc est: *Modus  
 in Mancipium. Multis ante seculis sanctè in Ecclesia  
 in Italia & Germania evulgatus, nunc verò paullo fu-  
 rà & studio Sodalium B. V. Coloniensium apud RR.  
 Patres*

ib. XXI. Histor. fol. 428. 429.

